

rebus ad testamentariam materiam spe-  
ctantibus, veluti de cernenda, aut adeun-  
da hereditate, de rebus caducis, de solen-  
nitatibus quæ in acquirenda hereditate  
exiguntur, quæ omnes à Justiniano sunt  
abolitæ: ut jure possis dicere, tertiam ma-  
teriæ testamentariæ partem non antiqui  
juris Romani esse, sed à sola Justiniani in-  
ventione. Eorum vero quæ à Justiniano  
inventa sunt, nec dimidia pars in hoc re-  
gno in usu mansit.

## CAP. VII.

De fideicommissis & de jure  
accrescendi.

**I**N hoc autem testamentario sermo-  
ne fideicommissorum non oblivisci  
oportet, in iis enim inter cætera incon-  
stantia & varietas juris Justinianeï evi-  
dentissime spectatur. Sciunt omnes fi-  
deicommissa ab initio nihil aliud fuisse,  
quam dolum & calliditatem ad frau-  
dandam legem, & ad devolven-  
dum astute bona defuncti ad eos,  
qui-